



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De Carolo ciue, qui lapides ad fundamenta ecclesiae eorundem
Apostolorum obtulit, cap. 63.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

IN Colonia burgenſis quidam erat; homo diues & potens, Carolus nomine, pater domini Caroli Abbatis quãdoque Vilarienſis: hic cùm audiſſet, quia Apoſtoli iudicaturi eſſent, cogitauit intra ſe dicens: Peccatum graue eſt, & lapides anchorarij valde ſunt ponderoſi; emam ergo lapides tales ad futuram fabricam ſanctorum Apoſtolorum, vt cùm in die iudicij opera mea bona, nec non & mala poſita fuerint in ſtatera, Apoſtoli, qui iudices erunt, lapides iſtos lanci, opera mea bona continenti, immittent, & mox præponderabit. Emit ergo nauim plenam lapidibus, quos per currus portari, & iuxta eccleſiam Apoſtolorum deponi fecit: quem cùm canonici interrogauit, quid ſibi vellet per lapides illos; reſpondit: Aliqua dierum renouanda eſt eccleſia iſta, & tunc erunt vobis neceſſarii. Non multo poſt, cùm extenderetur eccleſia, occasione, vt puto, eorundem lapidum, in fundamento poſiti ſunt. Hęc de Apoſtolorum viſionibus dicta ſunt. Nunc aliqua tibi dicam de martyribus. **APOLLONIVS:** Quid faciat martyres, quare martyres dicantur, vel quot ſint genera martyrii, prius mihi edicas. **CÆSARIVS:** Facilis horum ſolutio eſt.

CAPVT LXIII.

Martyres unde dicantur, quid faciat martyres, & quot ſint genera martyrii
Auſa non pœna facit martyres: duo enim latrones Chriſto affixi ſunt hinc inde, vnus martyr effectus eſt propter virtutem confeſſionis, alteri pœna ſua, initium fuit æternæ dånationis. Martyres enim græcè, teſtes dicuntur latinè, eo quòd pro teſtimonio fidei occiſi ſunt. Sũt autẽ quatuor genera martyrii: quidã occiſi ſunt propter ſolam innocentiam, vt Abel; alij propter iuſtitiam, vt Prophetæ & Ioannes Baptiſta; alij propter zelum legis, vt ſeptẽ fratres Machabæi; alij propter fidem Chriſti, vt Apoſtoli eorumque ſucceſſores, & hi antonomatiçè dicuntur martyres, id eſt, teſtes, quia ſanguinis ſui effuſione fidei Chriſti ſubſcripſerunt. **APOLLONIVS:** Attendunt ſancti cùm à nobis venerantur? **CÆSARIVS:** Etiam; adhuc enim per diuerſas viſiones, ſuas manifeſtant.